

1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.



1696.

1. Bruecknerus, Georgius Heimicus : De injuriis hominum proin
cipia illatis
2. Eyselius, Joannes Philippus : Dissertationes in leg. medica, antiquas
viresis status naturalem et praeternaturalem.
3. Kleffel, Michael : De palmaris litis
4. Lilien, Melchior Ludovicus : De jure dominii eiusque
naturalis acquisitione
5. Meierus, Joh. Henricus : Disputatio juridica in qua
exhibens privilegium Bremensium de non appel-
land.
6. Meierus, Joannes Henricus : De periculo rei alienae
- 7^{4. 2} Rothmaller, Huldricus Sigismundus : De spacio.
2 9 exempl.

8. Schuetz, Francus Rudolphus: De jure detractionis
 Germanici ab his et deo Nächstens.
9. Solt, Johannes Hermannus, a: De mulatione sen-
 tentiae.
10. Streit, Joannes Philippus: De contracta ammiratione
 4
11. Winckler, Francus Matthias: Censuris Julicae -
 1

1694.

1. Eyselius, Francus Philippus: Virginitatis inanis merita,
 qua sterilitatem mulierum - - - pubertate - - - Francus
 subvertit
2. Solt, Johannes Hermannus, a: De injuriaribus 3

1698

1. Matthiae, Oederus Wilhelmus: De in integrum restitutione 4
 lus.



2. Matthiae, Dietericus Wilhelmus: De iudice

3. ^{Bruncker, Georgius Henricus:} Matthiae, Dietericus Wilhelmus: De incompatibilitate

3^b ^{jurium digestatum et beneficiorum.} Matthiae, Dietericus Wilhelmus: De pignoribus et hypothecis

4. Matthiae, Dietericus, Wilhelmus: De juris prudentia

4^b ^{Romana in proximali reformata} Nappias, Johann Tobias: De clementia iudicis inferiori in criminalibus circa poenas permissa, dubia seu incerta et spuria.

1. Lilius, Melchior Ludolphus: De subtilationibus Ver
Apffel - Einrich oder Melch. Erben Satzungen

2. Luescherus, Christianus Wilhelmus: Tententis inappellabiles . . . publico Examini videtur

3. Meier, Johann Henricus: De repressationum jure.
Von Fehde und Beissel - Recht

4. Mieth, Petrus: De eo, quod iudicium est circa
aurogas. Von Rechte deren Fabrikanten

1699, 1 /
Q. D. B. V.
DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA, 36 21
DE

SUBSTITUTI- ONIBUS,

Von *Hüter*, *Sinsek* oder *Nach*
Erben *Sakungen* /

Quam

DIVINA FAVENTE GRATIA
CONSENSU atque AUCTORITATE
INCLYTI ICTORUM ORDINIS,
IN ILLUSTRIS & PERANTIQUA HIERANA,
P R Æ S I D E

Prenobilissimo Excellentissimo atque Consultissimo,

DN. MELCHIORE LU-
DOLPHO *Bilien* /

J. U. D. Famigeratissimo, & INSTITUT. IMPERIAL.
PROF. PUBL. ORD. Celeberrimo, &c.

DN. PATRONO ac HOSPITE HONORATISSIMO,
PRO LICENTIA,

*Summos in UTROQUE JURE HONORES ac PRIVILEGIA
DOCTORALIA ritè capessendi,*

Placidæ Eruditorum disquisitioni submittit

JOHANNES PHILIPPUS *Hütterodt* /

Spangenbergâ - Hassus,

Horis consvetis. die 6. Martij A. d. Christi 1699.

IN AUDITORIO ICTORUM COLLEGII MAJORIS.

ERFORDIÆ, Excudebat JOH. HENR. Grosch,



DISTINCTIO IN IURISPRUDENTIA JURIDICA

SUBSTITUTI

ONIBUS

IN IURISPRUDENTIA JURIDICA

CONSENSU ET ALIQUOTIATE

IN IURISPRUDENTIA JURIDICA

DR. M. L. CHORRELL

DOLPHO

IN IURISPRUDENTIA JURIDICA

PRO LICENTIA

IN IURISPRUDENTIA JURIDICA

JOHANNES PHILIPPUS

IN IURISPRUDENTIA JURIDICA

IN IURISPRUDENTIA JURIDICA





I. N. D. N. J.
PROŒMIUM.



Præmiū sanè æstimatur, quod Imperator Justinianus ad Epiphanium, Archi Episcopum & Patriarcham Constantinopolitanum, in Præfatione Nov. 6. pr. rescripsit: Scilicet tunc omnia benè geri & competenter, si rei principium fiat decens & amabile DEO. Nos huic Divino præcepto obedientes, materiam substitutionis, quam loco Disputationis Inauguralis tractare atque ventilare suscepimus, in Nomine Domini Nostri JESU CHRISTI ordimur, Cujus eminentiam, difficultatem & cognoscendi necessitatem, si quis recensere vellet, non unius diei laborem susciperet, sunt enim in eâ subtilitates & difficultates sine numero, quarum tamen tanta excellentia & utilitas, uti refert Raphael Cumanus, demonstrante Georgio Schulzio ad tit. inst. de vulg. subst.



se vivam Baldi vocem suis auribus percepisse, quod ex sola substitutionum materia quindecim millia Ducatorum consulendo lucratus fuerit. Itaque predictam materiam, eâ, qua possumus brevitate, non pro eius dignitate, qua summa, sed ingenij facultate, qua imbecillis & exigua, Divina favente gratia, sequentibus thesibus in medium profereamus & publicè Eruditorum Disquisitioni submittemus.

TH. I.

UT autem instituti nostri, intermisso ulteriori præloquio, faciamus exordium, & rem hanc ab origine ipsâ repetamus, cum secundum Gell. lib. 10. Noct. Attic. rerum intelligentia à verborum dependeat intellectu, & nemo rem benè intelligat, nisi verba prius cognoverit. Arist. Analyt. post. cap. 1. hinc non erit inconveniens præmittere & excutere nomen substitutionis, quod est conflatum seu compositum ex particula præpositiva, *sub* & verbo *statuo*, significans Germanis inter alias, quas tribuunt significationes, *setzen/ordnen*. inde substituere *nachsetzen/Ufftereinsetzen/an eines andern statt setzen*; hinc substitutus *der nach-oder auf einen kommen / an eines andern statt gesetzt*. vid. Lex. Fabri. Denzl. & Wilbelmi verbo *substituo*. Verbum germanicum autem *Uffter* à Saxon. *Uff*/quasi *ab-der*/post, ponè, à tergo, retrò. Dicitur Belg. *Uchter*: sed utrumque in puriori nostra lingua penè exolevit, manentibus quibusdâ compositis.



stitis: *Affter*: *Anwald* / Procurator substitutus; *Affter*:
Bürde/mola; *Affter*: *Erb.* heres substitutus; *Affter ein*
setzen/substituere; *Affter*: *Geburt*/secundina; *Affter*:
Kind/posthumus; *Affter*: *König*/pro Rex; *Affter*: *Lehn*/
subclientela; *Affter*: *Mehl*/farina castrata; *Affter*: *Rede*/
calumnia, cavillatio, &c. *vid. Spatens teutschen Sprach*
Schatz pag. 6. & Pomay Le grand. Dictionaire Royal. verb.
Affter.

TH. II.

Vocabulum substitutionis in jure nostro quadriva-
rie sumitur: [1.] pro substitutione iudicum. *l. 20. ff. judi-*
cat. solv. nec non Procuratorum. l. si Procuratorem 8. §.
3. ff. mandati. l. quod quis 8. & l. neque tutores 11. C. de
Procurat. & dicitur substitutus Procurator *ein Affter*
Anwald Dn. Lauterb. in comp. jur. ad tit. ff. de procur.
[2.] pro substitutione arborum & pecorum in locum de-
mortuorum capitum §. 38. *inst. de Rer. Divis. l. si grege*
legato. 22. ff. de Leg. [3.] pro substitutione Donatariorum
& Legatariorum, nec non Fideicommissariorum. *l. 6. C.*
de Leg. l. un. §. 4. C. de caduc. toll. l. quoties. 3. C. de Do-
nat. que sub mod. [4.] pro substitutione heredum *l. 1. ff. de*
vulg. & pupill. substit. quæ posterior significatio hujus est
loci.

TH. III.

Substitutionis origo juxta DD. communiter Juri Gen-
tium adscribitur: tum quod exinde sit testamentum i-
psum atque ipsa heredis institutio, à qua non diversa sub-
stitutio materialiter, sed quatenus secunda atque ulterior
& priori succedanea est. *Odd. in prelud. compen. par. 1. q.*
3. & Intrigliol. de substitut. cent. 1. q. 4. Quamvis & ju-



ris civilis dici possit, quoad Rempublicam Romanam hujusque informationem; tum quod illa Græcis atque aliis gentibus non fuerit incognita testante Demosthene & Diogene Laert. bonæ fidei scriptore, qui *in vita Aristotelis* refert hujus testamentum, in quo puella, si prius moreretur, quam nuptui esset collocata, vel deinceps sine liberis, *Nicanorem* quendam substituit.

TH. IV.

Quamvis substitutio latè sumpta dividatur in substitutionem directam, qua substitutus directè, immediatè & sine ministerio alicujus integram capit hereditatem, in casum deficientis primi *l. 1. 36. ff. de Vulg. pupill. substitut.* & Fideicommissariam s. obliquam, quâ substituto hereditas tribuitur mediante facto ejus, qui eam restituere rogatus est. § *fin. Inst. de pup. subst. l. 36. ff. de Vulg. & pup. subst.* qualis substitutio censetur facta in codicillis, item testamentis clausula codicillari munitis. *l. 8. pr. & §. 1. C. de codicill. l. 29. §. 1. ff. qui testam. fac. poss.* nec non quoties verba testamenti ad fideicommissum trahi queunt, ut voluntas testatoris conservetur *l. 67. §. 10. ff. de Legat. II.* Nobis tamen de sola substitutione directâ, quæ propriè substitutio dicitur & Fideicommissariæ opponitur. *l. 6. §. 5. ad Scrum. Trebell. l. 77. §. 13. ff. de Legat. II. junct. tot. tit. ad Scrum Trebell.* hîc sermo est.

TH. V.

Quæ definitur: Ulterioris heredis in locum deficientis facta surrogatio. §. 3. *Inst. de Fideicommiss. heredit. c. 1. x. de testam. in 6.* Vel secunda heredis institutio, quæ fit post primam in locum deficientis *l. 1. 38. §. 3. ff. de Vulg. & substit.* & dicuntur substituti, secundi heredes, vulgo

Uff.

Uffter-Erben / etiam si posteriores, eo quod in locum deficientis primi instituti veniant *l. 1. pr. ff. de vulg. & pupill. substit.* sicut omnes nuptiae dicuntur secundae, quae primas sequuntur *Schneid. ad tit. inst. de vulg. subst. n. 3. & 4. Bernhard. Sutholt. dissert. 8. apb. 29.*

TH. VI.

Hæc substitutio licet communiter à DD. dividatur in quatuor species, nempe simplicem s. vulgarem, Pupillarem, Exemplarem & Privilegiatam s. Militarem. *Georg. Adam. Struv. Syntagm. jur. Civ. Exerc. 33. th. II. Lauterbach. in Compend. jur. ad tit. ff. de vulg. & pup. substit. Schneid. ad d. i. inst. n. 5. Duaren. ad h. t. c. 3.* Attamen nos cum *Hotomanno, Mynsingero, Vinnio, Sutholt, Paulo Fuchsio ad tit. inst. de vulg. subst.* & aliis pluribus statuimus duas duntaxat species substitutionum esse. *l. 1. §. 1. ff. de vulg. & pup. subst.* Vulgarem nempe & Pupillarem, ad quarum alterutram omnes substituendi referuntur species; Etenim si genera substitutionum à casuum differentiis distingvenda sunt, plura poni non debent, quam duo, sicuti nec plures sunt casus, in quos fit substitutio, quam hi duo: unus, *si institutus heres non erit*; qui casus primus dicitur, & est conditio vulgaris substitutionis; Alter, *si heres erit, & in pubertate decesserit*, qui secundus est casus; & propriè pupillaris substitutio vocatur *l. 4. l. 45. ff. de vulg. & pup. substit. l. 8. C. de impub. & al. substit.* potestque substitutio Exemplaris referri ad pupillarem, & commodiori nomine appellari quasi pupillaris, de qua agitur in *§. 1. instit. de pup. substit.* Compendiosa & Reciproca diversas modò substituendi formulas denotant, concepta semper in primum vel secundum casum

casum §. 1. instit. de vulg. subst. §. 7. inst. de pup. subst.
 Quod autem Miles filio puberi, vel etiam extraneo in se-
 cundum quoque casum directo substituere possit, abnor-
 me atque ex privilegio est. *l. 15. ff. de vulg. & pup. subst.*
l. 5. l. 41. §. 4. l. 15. §. 4. ff. de test. mil. l. 8. C. Eodem.

TH. VII.

Vulgaris substitutio dicitur à vulgari & usitato sub-
 stituendi modo, vel quia vulgò & promiscuè omnibus he-
 redibus, & à quovis testatore fieri potest. *Vinn. ad tit. inst.*
de vulg. subst. n. 5. Hinc definitur, quod sit secundi here-
 dis in locum seu gradum primi, non adeuntis institutio,
 quæ fit à quolibet testamentum facere non prohibito, cui-
 libet capaci, vulgaribus, apertis & communiter usitatis
 verbis: veluti, *Titius heres meus esto, etsi heres non erit,*
Cajus heres esto. *Vid. Duaren. ad tit. inst. de Vulg. subst.*
c. 4. Schneid. ad d. t. n. 8.

TH. VIII.

Dividitur à DD. in Expressam & Tacitam *Dn. Lüder.*
Menck. in supplem. Lauterbach. ad tit. ff. de vulg. & pup.
substit. fol. 402. Mynsing. ad §. 1. instit. d. t. Illa est, quæ
 fit verbis negativis, & continet in se verba negationis
 expressa, ut cum primo faciam institutionem, veluti:
Titius heres meus esto, & deindè substitutionem per verba
negativa: si hic Titius heres non erit, Cajus heres esto:
 Hæc fit verbis affirmativis & continet in se verba negatio-
 nis non expressè, sed tacitè: Veluti, *duos heredes instituo*
Titium & Cajum, & eos invicem substituo, vel sic:
Uter inter Cajum & Titium vixerit, heres meus esto, quo
casu, si uterque vixerit, ambo heredes sunt, si vero unus
decesserit ante testatorem, alter solus heres erit *arg. l. 29.*
ff. de Hered. instit.

TH. IX.

Utraque fit in testamento tantum perfecto *pr. instit.*
de vulg. subst. l. 36. ff. de vulg. & pup. subst. In codicillis
 namque nec institui nec substitui directè potest. §. *pen.*
inst. de codicill. l. 10. ff. de jure codicill. nisi à milite. l. 19.
§. l. 36. ff. de testam. milit. ibique gloss. Harpr. ad §. 2. instit.
de codicill. & quidem ab eo, qui testamenti factionem ha-
bet, Corvin. ad instit. de vulg. subst. heredibus institutis,
cujuscunque conditionis & ætatis, Perez. ad inst. d. t. aded,
ut nec Pater solùm, sed & Mater vulgariter substituere
possit, l. 33. pr. ff. de vulg. & pup. subst. vid. Bertich. P. 1.
concl. III. Richter. dec. 44. n. 6. Sciendum tamen hîc,
 etsi substitutio in codicillis facta non valeat jure directo,
 benigna tamen interpretatione sustineri in vim fideicom-
 missi, quasi heredes legitimi rogati videantur hereditatem
 substituto restituere; Quæ sententia communis & usu
 reçepta, non DD. tantum auctoritate, verum etiam legum
l. Scævola 76. ad Scrum. Trebell. l. 13. §. 1. ff. de jure codicill.
l. ult. §. 1. C. eodem. Vinn. ad pr. institut. de vulg. subst.
n. 1.

TH. X.

Effectus hujus substitutionis sunt, (1.) quod institu-
 to ex alterutra causa, puta quod non possit, vel nolit, here-
 ditatem non adeunte, vel aliàs irritâ factâ institutione ipsâ,
 locus fiat substituto, exclusis tùm instituti heredibus,
 (quod hereditas non adita transmitti non possit) tùm
 jure accrescendi, quod hoc jus ex legibus descendat, &
 demum tacitâ testatoris voluntate operetur, cum substi-
 tutus expressâ dispositione vocetur. *l. un. §. 5. C. de caduc.*
collend. l. 2. §. 6. ff. de vulg. & pup. subst. (2.) quod testa-

B

men-



mentum possit assumere vires à substituto, licet in primo gradu non habeat vires, quia deficit heres. *l. 3. §. 6. ff. de lib. & posthum.* (3.) quod ad substitutum tantum pertineant bona ipsius testatoris, non ipsius instituti. *Schneid. ad inst. d. t. n. 7.* & (4.) quod hoc modo substitutus non instituto, utpote qui nunquam fuit heres, sed ipsi testatori succedat. *Bart. in. l. 3. n. 38. ff. de vulg. & pup. Subst. Odd, cons. 68. n. 4. cons. 29. n. 9. cons. 46. n. 17. Fusarius de substitutionibus, quest. 22. n. 1. Cbifletius de subst. c. 16. in pr.*

TH. XI.

Hic non inique quæritur; Si Filiusfam. ab extraneo heres institutus, eique, hac conditione, si heres non foret, substitutus datus sit, utrum repudiante filio, Pater, an substitutus admittendus? Quamvis DD. communiter patrocinium Patris suscipiant, quorum signifer est *Daarenus in comm. ad tit. de vulg. & pup. subst. c. 10.* Nos tamen cum *Viglio, Bernhardo Sutholt & Vinnio ad §. 4. inst. de vulg. subst. nec non Fachinæo 4. contr. c. 63. Arumæo, Exerc. 8. th. 10. Hoenon. Disp. 8. contr. 14. Henning. Rennem. de jur. Rer. Disp. 20. th. 15. l. c.* Substitutum Patri præferendum censemus, quippe cum ille ex manifesto iudicio testatoris veniat, hic non æque; Tum etiam quia repudiante filio existit conditio substitutionis, quæ in extraneo herede instituto, qui alieno juri subjectus est, hunc habet sensum, *si neque ipse heres erit, neque eum, cujus in potestate est, heredem fecerit*, quorum neutrum fit in proposito casu. *l. 3. C. de Her. Instit.* ad hæc, si coheres filio datus, repudiante filio, patrem excludit, quanto magis, substitutus; constat enim jus substitutionis potentius esse
jure

jure accrescendi. l. 2. §. 8. ff. de Bon. poss. secund. tab. Auth.
hoc amplius. C. de fideicomm. Nov. 1. c. 1. §. 1. & 2.

TH. XII.

Licet substitutio vulgaris varios habeat effectus, ex-
spirat tamen aditâ hereditate per institutum. l. 5. C. de
impub. & al. subst. estque ratio, quia substitutio vulgaris
fit sub conditione, si heres non erit, deficiente enim hac
conditione substitutionis, deficit etiam ipsa substitutio.
Ast occasione hujus non immeritò quæritur: Si ante a-
pertas tabulas, vel intra tempus ad deliberandum heres
decesserit, utrum transmittatur hereditas ad heredes de-
functi, vel an substitutus admittatur? Videtur quidem re-
spondendum, substitutum admitti, quia, uti supra moni-
tum, heres sub conditione institutus est, & si illa defecerit,
vel quod heres esse noluerit, vel quod heres esse non
potuerit: v. g. quia morte præventus, vocatur sub-
stitutus ad hereditatem: Sed tamen hoc non ob-
stante, utroque casu, non ad substitutum, sed ad
defuncti heredem hereditas pertinebit; siquidem heres
iste institutus nec dici potest non potuisse esse heres, quip-
pe qui fuit capax, nec dici potest noluisse seu repudiasse,
qui jus adeundi ad heredes legitimè transmisit. arg. l. un.
§. 5. in fin. & §. 13. C. de caduc. toll. arg. l. 3. pr. ff. de jur.
delib. Gomez. 1. Res. 3. n. 25. Christin. vol. 4. Dec. 17. n. 2.
Fachin. 4. contr. 62. Struv. S. J. C. Exerc. 33. th. 17.

TH. XIII.

Sed inter DD. magis controvertitur: An existentia
sui heredis se non immiscentis, faciat tabulas vulgares
evanescere vi suitatis? Affirmat hoc Donellus. lib. 6. c. 24.
hoc motus argumento, quod ipso jure sit heres, ut non



possit dici pater intestatus, qui suum reliquit heredem, licet abstinens *l. cum quasi 30. §. sed etsi. 10. ff. de Fideicommiss. libertat.* Attamen, cum inde sequeretur filio frustra substitui vulgariter, cum continuo mortuo Patre sit heres, ut non possit dari aliquot tempus utile quoad vulgarem substitutionem; Hinc verius esse putamus, prædictam vulgarem substitutionem in suis heredibus non aliter evanescere, quam si se immisceant hereditati paternæ, nec substitutis nudum tantum nomen sui heredis obstat, quippe cum mens testatoris fuerit, non jure solum, sed etiam de facto heredem habere, qui alias frustra sibi providisset secundum legem, ejusmodi substitutionem permittentem. *l. 44. ff. de Re judic.* Quam sententiam nostram confirmat. *l. 2. in fin. ff. de vulg. & pub. subst.* ubi si filius heres non extiterit, dicitur admitti substitutus, quod non esset, si sinitas extingueret substitutionem.

TH. XIV.

Alia denuo elegans movetur quæstio; si sius heres, antequam se bonis immiscuerit, mortuus sit, utrum vii sinitatis hereditatem transmittat ad successores, vel an potius admittendus sit substitutus? Posteriores sententiam veram esse DD. vulgo contendunt, statuentes jus sinitatis per vulgarem substitutionem in totum tolli. *arg. l. 12. §. 16. ff. de lib. & posthum.* Sed horum sententiam falsam esse, patet exinde, cum alioquin nec in pupillari substitutione expressa unquam inesse posset vulgaris, nec in vulgari pupillaris, qua de causa verius est, & legibus magis conforme, si heres, antequam bonis paternis se immiscuisset, mortuus sit, transmittere hereditatem jure sinitatis ad successores, adeoque, si hi adeant hereditatem, excludi
sub-

substitutum *l. un. C. de Caduc. toll.* Unde etiam silentio hic non erit praterendum, quod, quamvis alias in substitutione vulgari obtineat; Quod casus voluntatis contineat etiam casum impotentiae, & viceversa, cum substitutus in unum casum v. g. *Si heres esse noluerit*, dicatur etiam substitutus in casum impotentiae; casus enim expressi, continent etiam casus non expressos, idque ob tacitam voluntatem disponentis. *Francisc. de Barry. de success. ab intestat. lib. 3. tr. 2. n. 5. & seq. Zoës. ad tit. ff. de vulg. & pup. subst. n. 6.* Attamen in herede suo vulgariter substituto regula limitatur, & concluditur per DD. communiter: Substitutionem vulgarem in suo herede non operari in casum & speciem impotentiae, sed in casum voluntatis & abstinentiae duntaxat, utique si filius Patri superstes fuit: nam si is vivo patre decesserit, nullis liberis relictis, qui quasi agnascendo testamentum rumpant; dubium non est, quin substitutioni locus sit. *Zas. tr. de substit. c. 1. 4. effect. Gomez. lib. 1. resol. 3. n. 15. & 16. Bach. in Treutler. vol. 2. disp. 11. tb. 7. Christin. vol. 4. decis. 16. n. 4.*

TH. XV.

Substitutionem vulgarem sequitur Pupillaris, à pupillis denominata, quæ natales suos debet moribus *pr. inst. de pup. subst. l. 2. ff. de vulg. & pupill. substit.* quamvis & *Plato lib. 11. de LL. pag. 923. in fin.* ejus mentionem faciat, postmodum vero tam jure canon. *c. 1. in pr. x. de testam. in 6.* quam jure civili fuit recepta, *tot. tit. ff. de vulg. & pup. subst.* & fit impuberi à parentibus, quorum est in potestate, in casum, quo iste moritur heres intra pubertatem *pr. inst. de pup. subst. Zoës. ad tit. ff. de vulg. & pup. subst.*

Hæc autem pupillaris substitutio procedit, cum pater ante sibi scribit heredem, & postea filio substituit, hoc modo: *Titius filius meus heres mihi esto, & si heres fuerit, & intra pubertatem decesserit, Cajus heres esto.* l. 2. §. 4. & 6. ff. de vulg. & pup. subst. Sunt enim tabulæ pupillares instar partis & sequelæ testamenti paterni §. 5. inst. de pup. subst. l. 2. §. 1. l. 10. §. 3. ff. eodem. & habentur loco testamentariæ voluntatis, in qua significatur, quid observandum sit in bonis pupilli post ejus mortem, & quidem in omnibus, ita ut is censeatur sibimetipsi heredem instituisse. §. 2. inst. de pup. subst.

TH. XVII.

Dividitur in Expressam, quæ verbis exprimitur: veluti, *si institutus filius meus heres erit, & impubes decesserit, eidem Cajum substituo*: Et tacitam, quæ sub expressâ vulgari, applicatâ Filiofam. impuberi contineri creditur: utpotes, *Filium meum impuberem heredem instituo, & si is heres meus non erit, eidem Titium substituo*; Hoc casu, si Filius heres fiat Patris, extinguitur quidem vulgaris substitutio, nihilominus tamen, si post aditam hereditatem filius adhuc in pupillari atate decedat, substitutus Titius non vi substitutionis vulgaris, quæ est sublata per immixtionem, sed tacitæ pupillaris ad bona impuberis filii vocatur, cum ex conjecturatâ voluntate Patris defuncti, in conditione: *si filius heres non erit*, intelligatur etiam illa, *si filius heres erit & antequam pubes factus decesserit.* l. 4. ff. de vulg. & pup. subst. l. 4. C. de impub. & al. subst. Georg. Adam Struv. S. J. C. Exerc. 33. th. 22. nisi aliunde pateat contraria voluntas patris, ut in l. 2. C. de impub. & al. subst. l. 39. §. 1. ff. de vulg.

vulg. & pup. subst. Menck. in supplem. Lauterbach. tit. de
vulg. & pup. subst. p. 403. add. Donellus. lib. 6. comm. c. 26.
Perez. in C. d. t. n. 9.

TH. XVIII.

Substitutionis prædictæ subjectum Passivum sunt substitu-
entis liberi, tam masculi, quam foeminæ. §. *masculo.*
8. inst. de pup. substit. l. 2. ff. d. t. tam posthumi, quam
jam nati, §. *quacunque 4. inst. d. t.* modo impuberes
sint. §. *8. d. t. gloss. & DD. ad d. l. 2. ff. d. t.* Nam
pupillaris substitutio verbis directis puberi facta, ne
quidem in vim fideicommissi valet, *Cujac. 1. obs.*
item 12. obs. 27. Anton. Faber. 15. conject. 12. Först. 2. Disp.
13. tb. 14. Arumæus. Exerc. 8. tb. 12. Bronckborst. cent. 3.
adsert. 33. Cum enim moribus introductum sit, quod pater
filio impuberi ideo possit testamentum facere, quod ipse
in ætate impuberi testari nequeat. *l. 2. ff. d. t.* Certè
non debet patris testamentum admitti, quod faceret filio
puberi, eo casu, quo ipse sibi testari, & heredem facere
possit, Nec est, quod eam ad Fideicommissum flecti posse,
quis dixerit, siquidem pupillaris substitutio simpliciter pu-
bertate finitur. §. *8. inst. h. t.* Nec dici potest, quod finiatur
quidem quatenus pupillaris est & directa, non item qua-
tenus Fideicommissaria & obliqua: Nam cum una sit
substitutio per unum verborum tractum & formulam
facta, non poterit diversis temporibus directè & obliquè
valere, & aliquando omnia, aliquando verò solummodo
bona patris complecti; Accedit, quod substitutio directa
post pubertatem ex Militis privilegio jure fideicommissi
subsistat. *l. centurio. 15 ff. de vulg. & pup. subst. l. precibus.*
8. C. de impub. & al. substic. ergo in Pagano, in quo hujus
privilegii ratio deficit, contrarium erit statuendum: Facit
hue

huc etiam l. 7. ff. de vulg. & pup. substitut. ubi post XIV. ætatis annum verbis civilibus & directis frustra substitua dicitur, quæ tamen omni effectu non careret, nec frustra-nea esset, si in vim fideicommissi valeret; & hunc ad modum, teste Richter op. I. dec. 47. ita responderunt Scabini Hallenses. Ao. 1612. Christophoro Storcken zu Eisleben: Dieweil der eingesetzte Erbe nicht in pupillari ætate, sondern hernach verstorben/ und dann solche substitu- tio allein pupillaris directa, und nicht obliqua, v el fidei- commissaria ist / darbey auch kein Wort / so auf ein fideicommissum verstanden / oder gezogen werden könte / zu befinden ist / so ist solche substitutio pupillaris durch die Mündigkeit des instituirten Erben vorlängst erloschen / und derselbe hat alle seine Güter auf seine nechste Unverwandte ab intestato bracht und verfället. Si tamen substitutio puberi verbis directis facta, clausula codicillari fuerit munita, valebit in vim fideicommissi, quemadmodum ita à Scabinis Lips. Giesf. & Rinteliensi- bus Responsum fuisse, testatur Hahn. ad Wesenb. de vulg. & pup. subst. n. 9.

TH. XIX.

Nec sufficit sustituentis liberos esse impuberes, sed etiam necessarium est, ut sint in potestate patris substi- tuentis pr. inst. de pup. substit. & l. 2 ff. h. t. non modo tempore substitutionis, sed etiam mortis ipsius substituen- tis, l. 41. §. 2. ff. d. t. & quidem proximè, ita ut eos nemo gradu præcedat; si enim pater nepotem impuberem antecedit, non poterit Avus huic nepoti pupillariter sub- stituere, quia post mortem Avi recasurus est in potesta- tem patris l. 2. ff. d. t. Vinn. pr. inst. de pup. subst. n. 3.

Ex

Ex formula tamen Legis Vellejæ etiam nepotibus, quos pater præcedit, substitui potest. *d. l. 2. in pr.* ut sic Avus testetur: *Filius heres esto, si vero filius me vivo suus heres esse desierit, tum qui mihi ex eo nepos est, heres esto; si nepos heres erit, & intra pubertatem decedat, Sejus heres esto*, quæ nepotis institutio fit ex secundo capite legis Vellejæ. *l. gallus. 29. §. 13. ff. de lib. & posthum.*

TH. XX.

Quoniam insuper hodie non omnes Adoptivi in Patris Adoptantis potestatem transeunt, hinc etiam non omnibus pupillariter substituitur, sed ijs solum, qui arrogantur; vel ab ascendente adoptantur. *Vasq. de Success. lib. 2. §. 14. n. 3.* & quidem si arrogati sunt, tantum in iis bonis, quæ ad arrogatum ab Arrogatore provenerunt, aut ejus occasione accesserunt. *l. sed si plures. 10 §. in arrogato. 6. ff. b. t.* ratio est, quod bona impuberis ex cautione sint reddenda ejus proximis, in casum, quo impubes moriatur, ne illis fiat injuria per arrogationem § *cum autem. 3. instit. de Adopt.* cui cautioni Arrogator contravenire nequit.

TH. XXI.

Neque tantum liberis impuberibus proximè in potestate constitutis & heredibus institutis, pupillariter substituitur, sed etiam exheredatis. §. *non solum. 4. inst. de pup. subst. l. 1. §. 2. ff. b. t.* ita ut omnia pupilli exheredati bona, undecunque obvenientia, si eum intra annos pupillares mori contingat, ad substitutum pertineant §. *4. inst. d. t.* Nec obstat, quod nil relinqui possit ab eo, cui nihil datum est *l. sed & si 6. §. 1. ff. de Legat. III. l. 9. C. de fideicom.* Quoniam substituendi licentia non dependet

C

ab



ab institutione, sed à patria potestate, & pater non suis bonis, sed impuberis, jure potestatis substituit. *d. §. 4. inst.* accedit, quod substitutio non gravamen, sed merum filii favorem & utilitatem respiciat, ob provisionem seu dationem futuri heredis. *l. Julianus. 42. ff. de acquir. heredit.* & licet testamentum patris per querelam eversum sit, tamen substitutio salva manet; siquidem jure novo, rupto per querelam testamento, sola corrui heredis institutio, & reliqua capitula testamenti manent salva, *Nov. 115. c. 3.* secus tamen si testamentum ob præteritionem filii eversum fuerit; nam præterito filio substitui ideo nequit; quia præteritio facit testamentum patris nullum, pupillare vero testamentum est paterni testamenti appendix & sequela, adeò ut si testamentum Patris non valeat, nec filii valebit, *§. 5. inst. de pup. subst.*

TH. XX.

Olim, etiamsi pupillus malâ mente exheres scriptus esset, adhuc tamen poterat pater illi pupillariter substituere. *l. fin. C. de curat. furiosor.* Hodie vero hæc res rarius in quæstionem venit, propterea, quod impubes haut ita facilè causam ingratitude committere possit, sine qua jure Novellarum exheredatio non valet; si tamen proximus pubertati fuit, & doli capax, nihil impedit, quo minus ob impium facinus exheredari possit, cum & aliàs impuberes puniri leges permittant. *§. 18. inst. de obligat. qua ex delict. nasc.* *Mynsing. ad §. 4. inst. de pup. subst.* Interim tamen nec ab exheredato, nec ab ejus substituto relinquere legatum Pater potest. *l. 41. §. 3. ff. de testam. mil.* quia hæc res spectat gravamen heredis, non est autem onerandus, qui non est honoratus. *Vinn. ad §. 4. instit. b. t. n. 3.*

TH. XXIII.

Substitutionis pupillaris subjectum Activum est solus Pater; Siquidem hæc non nuda parentum voluntate, ut cætera in testamento, sed patriæ potestatis jure mandari solet, *l. 2. ff. de vulg. & pup. substit.* Cujus vi excluditur Mater, quippe liberos in potestate non habet, *§. 10. inst. de Adopt.* Ideo ipsi non licet substituere pupillariter liberis *pr. inst. de pup. subst.* Neque his obstat, *l. 33. ff. de vulg. & pup. subst.* ubi dicitur, quod si mater filium instituat, cum erit annorum XIV. eique alium substituatur, in pupillaribus tabulis, quod valeat substitutio: Nam ibi substitutio in casum primum; *si heres non erit*, non in secundum casum; *si heres factus intra annos pubertatis decesserit*, concepta est; Atque ita substitutio illa vulgaris est, quæ à quovis testatore fieri potest, non pupillaris: Nec in contrarium facit quod Iustus in lege adducta meminerit tabularum pupillarum, quia in pupillaribus tabulis potest etiam contineri vulgaris, & nihilominus dicuntur pupillares, quia fiunt in casum mortis antequam pubes fiat. *Armenus. Exerc. 8. Georg. Adam. Struv. jurispr. Rom. Germ. forens. lib. 2. tit. 19. apb. 10.* Mater itaque liberis pupillariter substituere nequit, nisi clausula codicillaris adjecta sit, tum enim substitutio jure fideicommissi sustinetur, *l. 29 §. 1. ff. qui testam. fac. poss. l. 76. ff. ad Sen. Trebell. Richter. dec. 44. n. 8. Carpzov. p. 3. C. 8. d. 17. Lauterbach. in compend. jur. b. t.* Aut lege provinciali, vel peculiari statuto illis alicubi indulta sit, sicuti eam indultam legimus in Reformat. *Francf. part. 4. tit. 4. & seq.* his verbis: **Die Mutter aber und andere in aufsteigender ihrer Linien weiblichen Geschlechts haben die Freyheit nicht ihren Kindern pupillariter zu substituiren/**



nach Ausweisung der Kaysrerlichen Rechten / nichts desto minder wollen wir aus Mildigkeit denselben zugelassen haben auch pupillariter zu substituiren: doch allein in demjenigen/so sie ihnen verschaffen/und nicht weiter.

TH. XXIV.

Uti testator sibi plures heredes tam æqualiter, quàm inæqualiter, tam pure, quàm sub conditione scribere potest. *tot. tit. inst. & ff. de hered. instit.* Ita etiam patri pupillo vel pure, vel sub conditione, vel nominatim, vel generaliter, unum vel plures, tam in æquales, quàm in inæquales partes substituere licitum erit, §. 7. *inst. b. t. l. 8. l. 10. ff. eodem.* Et si in diversa tempora plures substituti sunt, v. g. *Filius meus impubes si decesserit intra 10. annos, Titius heres esto, si ultra 10. adhuc intra 14. Annos, Mevius heres esto, & filius annorum 8. decedat, tunc nisi aliud ex mente testatoris appareat, Titius Mevio præfertur in tota hereditate, quia testator videtur tempora distinxisse, ut suum tempus in singulis substitutis servaretur l. 43. §. 1. ff. de vulg. & pup. subst. Quemadmodum & aliàs dici solet, quod generi per speciem derogetur. l. 41. §. 3. ff. Legat. III.*

TH. XXV.

Prædictæ substitutionis effectus varius est (1.) quod expressa pupillaris contineat tacitam vulgarem, uti expressa vulgaris tacitam pupillarem *arg. l. 4. ff. b. t.* (2.) per eam succedatur pupillo. *pr. inst. de pup. subst.* & quidem in bonis ejusdem tam adventitiis, quàm à patre profectis *l. 10. § ad substitutos ff. b. t.* (3.) pater duobus filiis substituens sub conditione; *si uterque impubes decesserit, non ante substitutus admittitur, quam uterque impubes mor-*

mor-



mortuus sit *l. 10. C. de impub. & al. subst.* testator enim
 voluit jus legitimarum hereditatum inter fratres integrum
 & salvum custodire §. 6. *inst. b. t. (4.)* mortuo impubere,
 qui heres existit, succedat substitutus, omnibus legitimis
 heredibus, etiam illis, quibus legitima aliàs debetur, ut
 matre, à bonis quoque filii plane exclusis, *l. 8. §. 5. ff. de
 inoff. testam. l. 4. l. 45. ff. b. t. l. fin. C. de inst. & substitut.*
 quia licet pupilli testamentum sit, à patre tamen factum
 est, *l. 8. §. sed nec impuberis. ff. de inoff. testam.* Quare &
 Imperator Justinianus in *l. 9. C. de impub. & al. subst.*
 prohibet admitti querelam contra substitutionem quasi
 pupillarem, videlicet ad exemplum pupillaris, quæ exclu-
 dit matrem, quod etiam approbat jus canon. *cap. 1. de
 testam. in 6.* ubi inquit Pontifex: *Licet filius testamento suo
 matrem portione jure natura debita privare non possit, pa-
 ter tamen in testamento, quod filio impuberi fecit, potest.*
 Nec deest ratio manifesta, mater siquidem eo tempore
 ubi pater filio impuberi testamentum fecit, eique substi-
 tuit, jus radicum non habet in illis bonis, quippe quæ
 nec filius actu possidet; nunquam autem debetur matri
 legitima ex bonis filiorum, nisi quæ liberi jam possident.
arg. Nov. 115. c. 4. Matth. Berlich. p. 3. concl. 10. n. 20.
 de jure vero Saxonico Electorali substitutio ea nec matris
 legitimæ præjudicat: Siquidem ab Augusto Electore Saxo-
 niæ generaliter constitutum, ut in omnibus speciebus sub-
 stitutionum matri expressè triens seu legitima relinqui,
 aut si non sit relicta, nihilominus ei legitima dari & salva
 reservari debeat, *p. 3. Const. 8. verba. constitut.* Diemeil
 die Rechts-Gelehrer allerley distinction und Unterscheid
 machen in Fällen/ da ein Vater seine Kinder in einem
 Testa

Testament zu Erben eingesetzt / und darneben auf den Fall / wann eines unter selben verstürbe / daß andere / oder auch jemand frembdes / mit oder ohne ausdrückliche Ausschliessung der Mutter / in des Kindes Theil / zu einem Erben untersetzt und substituirt / ob durch solche Substitution und ausdrückliche Verordnung / oder auch sonst aus Natur und Engenschaft der Substitution, die Mutter / wann sie den Fall erlebet / ganz und gar von ihres Kindes Erbschaft könne ausgeschlossen werden / und dann unsere Verordnete vor unbillich erachtet / daß der Mutter disfalls die legitima benommen werden solte / So constituiren und setzen wir / daß in allen Fällen der Substitution, der Mutter der dritte Theil aller Güter / zu recht legitima genannt / ausdrücklichen gelassen werde / oder da solches gleich übergangen / ihr nichts desto weniger dieselbe / ohne Unterschied / wie die Substitution geschafften seyn möchte / folgen und zukommen soll / und auf diese unsere Constitution soll in unsern Landen erkannt und gesprochen werden.

TH. XXVI.

Differt à vulgari, quod Hæc à quovis testatore, cuius heredi fieri possit, in casum, quo vocatus heres non adit hereditatem *pr. inst. de vulg. subst.* Illa à solo patre, solis liberis in potestate existentibus iisque impuberibus *t. t. inst. de pup. subst.* Hæc fit jure communi; Illa contra regulas juris, secundum quod alius pro alio non facit testamentum; Nam moribus introductum est, ut cum ejus ætatis filii sint, in qua ipsi sibi testamentum facere non possunt, parentes iis faciant. *pr. inst. d. t.* in Hac substitutus semper existit heres testatori, in



in Illa ita tantum, si non extiterit heres filius, si vero ex-
 stiterit, ipsi filio sit heres, ut non ejus modo, sed & patris
 bona simul capiat, *text. est in pr. inst. vers. quo casu. b. t.*
 In Hac una tantum est hereditas, in Illa duæ, nam in pu-
 pillari substitutione secundum præfatum modum ordinata,
 duo quodammodo sunt testamenta, alterum Patris, alte-
 rum Filii, tanquam si ipse filius sibi heredem instituisset:
 Aut certè unum testamentum duarum causarum. i. e.
 duarum hereditatum §. 2. *inst. d. t.* Hæc expirat aditâ
 hereditate, aut si substitutus ante testatorem moriatur;
 Illa non nisi pubertate. §. 8. *inst. de pup. subst.*

TH. XXVII.

Extinguitur substitutio pupillaris, uti ante monitum,
 [1.] pubertate ejus, cui substituitur, licet in tempus diu-
 tius facta sit. §. 8. *inst. b. t. l. 14. ff. de vulg. & pup. subst.*
 interim vulgaris tacita, quæ sub pupillari expressa com-
 prehenditur, non interit, ac proinde, si filius pubes factus,
 hereditate abstinuerit, substitutus eam capit *l. 4. ff. d. t.*
Struv. s. J. C. Exerc. 33. th. 30. [2.] si testamentum pater-
 num penitus corruat, §. 5. *inst. b. t. l. 2. ff. eodem. e. g. ab*
herede destitutum l. 2. §. 2. ff. b. t. vel heredis institutione
 carens. *Carpz p. 3. C. 8. d. 6.* non idem obtinet, si saltem
 rescindatur pro parte *l. 8. §. 5. ff. de inoff. test.* vel per bono-
 rum possessionem contra tabulas *l. 34. §. fin. b. t.* vel per
 querelam inofficiosi testamenti *Nov. 115. c. 3.* [3.] morte
 substituti contingente ante impuberem institutum *l. 9. ff.*
de suis & legit. hered. [4.] mortuo filio ante patrem. [5.]
 liberatione filii a patria potestate. *l. 41. §. 2. ff. h. t.*
 Manente tamen prædictis duobus ultimis casibus substi-
 tutione vulgari tacitâ salvâ. *arg. d. l. 4. b. t.*

TH. XXVIII.

Substitutioni pupillari proxima est quasi pupillaris; sic dicta, quod ad exemplum pupillaris substitutionis hæc adinventæ à Justiniano Imperatore fuerit. §. *qua ratione* 1. *inst. de pup. substitut. l. humanitatis* 9. *C. de impub. & al. subst.* Ut enim illa fit à patre pupillo, quod per ætatem eligere sibi heredem nequeat, ita hæc puberi mento capto, furioso, prodigo, quod mentis innocentia à provisione futuri heredis eum arceat. *d. l. 9.* unde vulgo, sed minus commodè exemplaris vocatur. *Paulus Fuchsius ad §. qua ratione. 1. inst. h. t.* cum antea talis substitutio, nisi impetrato principis beneficio, licita non esset, *l. ex facto. 43. pr. ff. de vulg. & pup. subst. Henning. Rennem. de jure rer. D. 20. tb. 22. l. a.*

TH. XXIX.

Dividitur in simplicem, quæ fit in unum casum, ut puta: *si tanquam mente captus decesserit*, & multiplicem, quæ fit in casum, *si tanquam mente captus, aut alio vitio, propter quod testari nequit, moriatur. arg. l. 1. §. 1. l. 4. ff. de vulg. & pup. subst. l. 14. C. de impub. & al. subst.* in Expressam, quæ verbis expressis concipitur, & Tacitam, quæ sub expressa vulgari & pupillari contineri creditur. *arg. l. 4. ff. h. t. l. 4. C. de impub. & al. subst.* Testator enim, si de hoc casu cogitasset, in ejus eventum procul dubio quoque substituisset, *l. 4. ff. h. t. Struv. Exerc. 33. tb. 33.*

TH. XXX.

Fit à patre, sub quo non tantum Avus, Proavus, sed etiam mater, quæ liberos in potestate non habet, continetur, quia non patriæ potestatis, sed humanitatis & commiserationis solùm hîc habetur ratio. *l. 9. C. de impub. & al. subst.*

subst. Quod si vero contingat, ut plures parentes simul substituunt, cujuslibet substitutio valebit *in bonis à se profectis*, i. e. *Substitutio Patris valebit in bonis à Patre profectis. substitutio vero Matris, in bonis à Matre profectis*, DD. *ad d. l. 9. C.* Quod autem ad *bona ipsius mente capti*, seu illius, cui quali pupillariter substituitur, attinet, in illis potior erit ille parens, qui liberos adhuc habet in potestate, cum in eo & naturalia & civilia jura concurrant *arg. §. 2. inst. de adopt. l. pen. §. si vero. C. eodem.* Si neuter habeat in potestate, utriusque substitutio valebit ex æquo, i. e. *pro dimidia parte bonorum.* *Fusarius de substit. quest. 179. n. 13. Struv. Exerc. 33. tb. 35. Hoppius ad §. qua ratione inst. de pup. subst. Rennem. de jur. rer. D. 20. tb. 22. l. b.*

TH. XXXI.

An autem Mater ad secunda vota transiens, filiis suis quasi pupillariter substituere possit, controversatur? Quamvis id plurimi negent cum *Bart. ad l. 43. n. 12. Et ibid. Jason. n. 24. de vulg. Et pup. subst. Paul. Leon. de substit. exempl. n. 47. d. Rennem. cit. l. Zaf. de substit. c. 3. Donell. 6. comm. c. 27.* eo quod substitutio quasi pupillaris, quam dicunt exemplarem, causa humanitatis ac pietatis sit introducta, quæ cesset in matre secundo nubente *arg. l. 22. §. pen. C. de admin. tut. l. 2. C. ubi pupill. educ.* Attamen cum jura generaliter loquantur, & matri potestatem quasi pupillariter substituendi indifferenter & absque ulla conditione concedant. *l. 9. C. de impub. Et al. subst.* Hinc his generaliter inhærentes, tutius omnino asseremus, matrem, etiamsi ad secunda transierit vota, *arg. l. 8. ff. de publ. in rem. act.* tamen mente capto quasi pupillariter substituere haut prohiberi, quemadmodum

D

à Sca-

à Scabinis Lipsiensibus mens. Jan. A^o. 1601. in causa Jacobi
Volckmars zu Leipzig judicatum esse meminit. Carpz.
p. 3. C. 8. def. 13. verb. sentent. Hat euer voriges Eheweib
 ein Testament gemacht / und darinne ihrem einigen
 Sohne den dritten Theil ihrer Verlassenschaft be-
 schieden / und euch ihme substituirt / &c. do ihr nun
 beweisen könntet / daß mehr gedachter euer Stieff-
 Sohn noch bey der Mutter Leben und hernach mit
 Blödigkeit behafft gewesen / derowegen er vom Mini-
 sterio niemahls zum Abendmahl gelassen werden
 wollen / und daß er auch in solcher seiner Blödigkeit
 verstorben / &c. So wäre Krafft angeregter Verord-
 nung / vorerwehnter eurem Stieff- Sohne zustän-
 diger dritte Theil auf euch gekommen und gefallen /
 und seine Freunde hätten daran keine Forderung /
 B. N. W.

TH. XXXII.

Liberis legitimis mente captis, aliove vitio propter
 quod testari nequeunt laborantibus, in eam casum, si
 heredes erunt, & in eo statu, in quo testari nequeunt, de-
 cedant. §. 1. *inst. de pup. subst. l. 9. de impub. l. 9. de al.
 subst.* etiam naturalibus aut spuris à Matre l. 29. §. 1. ff.
de inoffic. testam. non incestuosis, adulterinis aut ex da-
 mnato coitu natis, ob parentum partuumque odium Nov.
 89. c. fin. Nov. 47. Cujuscunque sint sexus & gradus,
 etiam impuberibus §. 1. *inst. b. t. l. 9. C. de impub. l. 9. de al.
 subst.* Carpz. P. 3. C. C. 8. d. 13. vel in alterius potestatem
 recasuris Struv. Exerc. 33. tb 36. hæc enim substituendæ po-
 testas non à patria potestate, sed ab humanitate dependet.
 d. l. 9. C. d. Menck. in supplem. Lauterbach. ff. b. t. p. 404.
 ideo-

ideoque in planè exheredatis liberis locum non habet,
quia nulla videtur exheredandi adesse humanitas, quæ
tamen est causa & basis hujus substitutionis. *Henning.*
Rennemann. de Jur. Rer. D. 20. tb. 22. l. f. Fusarius. de
substit. quest. 188. n. 1.

TH. XXXIII.

Et quamvis in substitutione pupillari cuivis, etiam
extraneus pro substituentis arbitrio substitui possit, etiam
exclusis omnibus pupilli successoribus legitimis, imo ipsa
matre, quæ hoc casu, nec civili aut canon. jure legitimam
prætendere poterit, uti illud supra *ad tb. 24.* demonstra-
tum: In hac tamen quasi pupillari certæ personæ, si ad-
sint, substituendæ sunt, præprimis liberi ejus, cui substi-
tutio fit, vel omnes, vel unus, vel plures, legitimam tamen
reliquis salvâ *Nov. 18. c. 3. l. 43. ff. b. t. Hillig. ad Donell.*
lib. 6. c. 27. lit. m. Si desunt liberi, succedunt fratres &
sorores, quibus demum deficientibus, quoslibet substitue-
re licet *l. 9. C. d. t. Petrus Heig. ad §. qua ratione. n. 5.*
inst. de pub. subst. Anton. Gomez. T. 1. variar. resol. 6. n. 6.
Quoad fratres autem sufficit hosce esse ex uno tantum
latere junctos, modo sint ex latere substituentis. *Carpz.*
p. 3. c. 8. d. 15 unde pater quasi pupillariter substituens,
fratrem filii utrumque conjunctum vel consanguineum
saltem præterire nequit, nec matri substituenti fratri ute-
rino alium substitutum præferre licet, *Fusarius. de substi-*
tutionibus. quest. 189. n. 15. Anton. Gomez. d. l. n. 6. Alex.
Trentacinq. de substit. p. 3. C. 5. n. 7. & seq.

TH. XXXIV.

Exspirat hæc substitutio iisdem ferè modis, quibus
pupil-

pupillaris. *Georg. Adam. Struv. Exerc. 33. tb. 37. Zoef. ad 2. ff. de vulg. & pup. subst. n. 80.* præcipua autem causa est resipiscentia *d. l. 9. C. ne homini sanæ mentis, & sui juris auferatur testandi licentia. l. 43. ff. de vulg. & pup. subst.* ubi tamen non adeò liquidum est, si furor vel dementia redierit, etiamné substitutio reviciscat? Negat hoc absolute. *Zoef. alleg. loc.* Alii distinguunt inter breve & longum intervallum, quasi hoc faceret non convalescere substitutionem, eò quod sibi heredem facere potuerit, non etiam istud, quod defuerit testandi occasio. Verum Nos distinguimus: An furor post mortem patris redierit, adeoque tempore mortis paternæ sanæ mentis fuerit, an ante; priori casu substitutionem non reconvalescere statuimus, non verò posteriori. *Lauterbach. in compend. jur. ad tit. ff. de vulg. & pup. subst.* nam si furor vivente adhuc testatore redeat, substitutio non planè extincta, sed pro suspensa haberi debet; siquidem conditio si resipuerit: intelligenda, si sanæ mentis fuerit tempore mortis paternæ, & temporibus intermediis non nocet mutatam esse conditionem *l. sed si 6. §. 2. & l. si alienum. 49. §. 1. ff. de Hered. inst.* Si tamen interim à furioso tempore intervalli testamentum factum sit, substitutio penitus exspirat, arg. *l. 9. C. qui test. fac. poss. Schvwend. ad Eckolt. tit. de pup. subst. verb. revertatur.*

TH. XXXV.

Tandem sequitur substitutio privilegiata s. irregularis, quâ miles non tantum liberis suis, [etiam puberibus & sanæ mentis,] sed etiam quibuscunque extraneis heredibus, si post aditam hereditatem quodocunque decesserint, substituere liberrimè potest. *l. centurio 15. ff. de vulg. & pup.*

*Et pup. substit. l. 8. C. de impub. Et al. substit. l. in testa-
 mento. 6. C. de testam. milit. Georg. Adam. Struv. Exerc.
 33. tb. 38. Duaren. 2. Disp. ann. c. 22. quæ substitutio mi-
 litaris non necessariò patris testamentum ante se requirit,
 cum miles filio soli testamentum facere, & ipsi morituro
 in eo substituere liberè possit l. 15. §. 5. Et l. 41. §. 5. ff. de
 testament. milit. l. 2. §. 1. ff. de vulg. Et pup. subst. ad dif-
 ferentiam pupillaris substitutionis, quæ requirit, ut pater
 sibi priùs, & deinde filio testamentum faciat, nam pupil-
 lare testamentum pars & sequela est paterni testamenti
 §. 5. inst. de pup. subst. l. 2. §. 4. ff. d. t.*

TH. XXXVI.

Prædicta substitutio privilegiata s. Militaris est vel
 sola, utpote: *si Sejus intra vigesimum annum, vel quando-
 cunque decesserit, Mevius mihi heres esto l. 5. l. 15. §. miles.
 ff. de test. milit.* vel habet aliquam ex ante dictis speciebus
 substitutionum conjunctam, idque vel verbis explicatis:
*ut; si Filius meus heres mihi erit, Et intra pubertatem, vel
 postea decesserit, Titius mihi heres esto.* ubi pupillaris cum
 militari jungitur, vel ita: *Titius filius meus heres mihi esto,
 qui si non erit, vel erit quidem, sed intra pubertatem, vel
 etiam postea quodocunque decesserit, Cajus mihi heres
 esto,* ubi vulgaris & pupillaris cum militari conjungitur
 verbis expressis; vel verbis compendiosè contractis, ve-
 luti: *quodocunque filius meus decesserit, Titius mihi vel
 ipsi heres esto,* ubi primo vulgaris advertitur, *si heres mihi
 non erit,* deinde pupillaris, *si Filius impubes decesserit,*
 postea quasi pupillaris, *si Filius pubes in furore decesserit,*
 denique militaris: *si Filius bene sanus quovis tempore de-
 cesserit;* Interest tamen an post pubertatem decedat fi-
 lius,




lius, an ante: Hoc enim casu omnia bona ad substitutum transeunt; illo, ea tantum quæ à milite substituente provenerunt. *l. 8. in f. C. de impub. & al. subst. Vafq. de success. l. 3. §. 24. n. 57. Georg. Adam. Struv. Exerc. 33. th. 39.* idque ex natura fideicommissi, quod non obtinet nisi in bonis à fideicommittente perceptis *l. coheredi 41. §. quod si heredem. ff. de vulg. & pup. subst.* In aliis autem bonis locum habere non potest, quod ea sine injuria legitimis heredibus non auferantur, quibus principale beneficium non debet esse fraudi. *Cujac. 12. obs. c. 27. Zoef. ad tit. ff. de vulg. & pup. subst. n. 89. Fachin. l. 4. c. 43. Menoch. 4. præsumpt. 52.*

TH. XXXVII.

Sed nunc vela contrahenda portusque respiciendus est, omnia enim tam vasti & profundi pelagi, [quod nomen huic materiæ tribuit *Cynnus ad l. 3. ff. de vulg. & pupill. subst.*] pervagari & emetiri loca, infiniti laboris & frustraneæ foret operæ, cum insuper tanta illius difficultas & subtilitas, ut teste *Gom. tom. 2. comm. c. 10. pr.* plurimum semper Doctores interpretesque juris torserit, ut pro recta ejus intelligentia non minus palpaverint, quam Hercules in Lernæo conflictu; quamobrem facilius, si quid forte peccatum fuerit, veniam me impetraturum confido.

SOLI DEO GLORIA:

Pen-



Pensatura tuas operas vigilesque labores
 Desponset Juris præmia summa Themis.
 Laurea parta Tibi laudes famamque perennem
 Conferat, ut nomen secula cana canant.

*Nobiliss. & Clariss. Dn. Ddo.
 Fautori suo colendissimo
 omnigenam prosperitatem
 precatur*

Joh. Henric. Meier. Jctus, P.P.
 Jurid. Fac. Decan. Judic. Electoral.
 Assess. &c.

Non miror causam : cur causis Noster
 Apollo

Substituit Nostrum: caula refulget, Amor.
 Juris amor firmus decernit præmia Juris.
Substituens vigeat Substituendo bonis.

*Hisce erga Pranobil. DN. Doctorandum
 pro Licentia Disputantem affectum suum
 singularem declarare voluit*

Johann - Hermannus à Sode, Jctus,
 Consiliar. Electoralis Moguntinus, Universit.
 Hieranæ ac Colleg. Facult. Jurid. Senior &c.
Halitus

HAlitus ex massâ svavis cognoscitur ambraë ;
Uva suos certo producit tempore fructus :
Terminus optatus designat limina metæ :
Tradidit , en ! Fautor ! digno *Tibi* jura resultans
Echo : *Substituit* pressis fulcimine Phœbus
Radicem causæ Patronum : monstrat acumen
Oris doctrinam Themidos : Gerana resultat :
Doctrinæ confert Fautori præmia : grator
Talia dicentem , qui plausu vera tuctur.

Hæc in perpetuam sui memoriam Nobiliss. atque
 Clariss. Domino Doctorando adjicere voluit

P R Æ S E S.

L*Aurea virtuti respondet debita merces ;
 Eveniunt meritis digna brabea Tuis,
 Crescat adauctus honor , multâ virtute coruscus
 Ut Decus à Sera posteritate feras.*

Joh. Joach. Dertel. J. U. Doctorand.

S*ubstituit miseris dignos Astræa Patronos ,
 Ne dubiâ causâ judice lege cadant.
 Substituit causis Te Dignum Musa caducis
 PATRONUM , grator : Jure Patronus eris.*

*Hiscæ Nobiliss. atque Clarissimo Domino
 Doctorando pro Licentia Disputaturo
 applaudere debuit , voluit*

M. Joann. Daniel. Schulze. P. L. C.

Quò

Uò tandem assurgis? quantâ, Doctissime, laude
 Iustitia studium Te deecorare solet?
 Artibus ingenuis Tibi gloria summa parata est,
 Quam subtile Tuum juris adauget opus.
 Argenti hæredes ac auri substituuntur,
 Ad fœcunda alios rura cupido trahit.
 Splendida Te verò delectant pondera Juris,
 Quæ clari studii sedulitate colis.
 Gazam, quam Jurisprudencia dat, pretiosam
 Quæris, quæsitam mente fovere studes.
 Hæc sunt clararum virtutum præmia iusta,
 Aurato Pallas tempore flore tegit.
 Sic decus est natis, claros habuisse Parentes,
 Si studeant illis moribus esse pares.
 Clarum nomen Avi summa cum laude reducis,
 In Te resplendet gloria magna Patris:
 Gratulor ergo Tibi ex cordis penetralibus imis,
 Te Deus optatâ prosperitate beet!
 Fama tuæ stirpis sic crescat laude perenni!
 Et sic celestis scandat ad astra via!

Hisce Nobilissimo & Doctissimo Domino
 Doctorando, Fautori suo ad cineres
 usque venerando, colendo
 gratulabundus acciuit

Johann. Georgius Mezius,
 Rect. Schol. Spangenberg.

EX merito curis impensis culmen honoris
 Substituit summi jure in utroque Themis.
gratulabundus apposuit
 Joachimus Andreas Meier. LL. C.

Subsidium Gerana Themis promittit Honoris,
 Atque Patrocinium *SVBSTITVENDŌ* dedit.
 Hinc *TE SVBSTITVIT PATRONVM* Juris & equi
 Alma Themis: *plaudit SVBSTITVENDŌ* decus.
 Praesidio firmo nunc opto Clientibus adsis:
 Sic Doctor Juris, laude vigebis, eris.

*Præ-Nobil: & Doctissimo Domino Doctorando
 Fautori & Amico summe colendo
 gratulationis ergo apposuit*

Joh. Henric. Blönder. SS. Theol. Stud.


Quod statuit Phœbus; consignat Gera;
 Patronum
 Substituit Juris Te, probat ipsa Themis.
 Applaudo coeptis! confirmet præmia Juris
 Qui Te substituit, juris amore Deus.

Pauca hæc

*Nobilissimo atque Clarissimo Domino Doctorando
 ex candido affectu adjicere voluit*

Bernardus Kauffenburg, J. U. Stud.
 Coll. Portæ Coeli Collegiatus Senior.





Erfurt, Diss., 1696-99

ULB Halle


3


004 711 831



VD17







1699, 11
Q. D. B. V.
DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA, 36 21
DE

SUBSTITUTI- ONIBUS,

Von ~~Differ~~ ~~Sinsek~~ oder ~~Nach~~
~~Erben~~ ~~Nachungen~~ /

Quam

DIVINA FAVENTE GRATIA
CONSENSU atque AUCTORITATE
INCLYTI JCTORUM ORDINIS,
IN ILLUSTRIS & PBRANTIQA HERRANA,
P R A E S I D E

Prenobilissimo Excellentissimo atque Consultissimo,

**DN. MELCHIORE LU-
DOLPHO Bilien/**

J. U. D. Famigeratissimo, & INSTITUT. IMPERIAL.
PROF. PUBL. ORD. Celeberrimo, &c.

DN. PATRONO ac HOSPITE HONORATISSIMO,
PRO LICENTIA,

*Summos in UTROQUE JURE HONORES ac PRIVILEGIA
DOCTORALIA ritè capessendi,*

Placida Eruditorum disquisitioni submittit

JOHANNES PHILIPPUS Hütterodt /

Spangenbergâ - Hassus,

Horis consvetis. die 6. Martij A. d. Christi 1699.

IN AUDITORIO JCTORUM COLLEGII MAJORIS.

ERFORDIÆ, Excudebat JOH. HENR. Grosch,